

B. N. II, 138.
h. 36, b.



X 187 92 93

I. N. 7.
DISSERTATIO POLITICA.
DE
JURE NUNDINARUM
Quam
In Electorali VVittebergensi Academia
PRÆSIDE
M. CHRISTIANO LYSERO,
Facult. Philosoph. Adjuncto.
Placida disquisitioni exhibet
JOHANNES JACOBUS CRAMERUS
Lipsiensi:
In Auditorio Minori add. XI. Octobris
Horis Antemeridianis.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
ANNO MDC LIV.



A. M. J.
DISSERTATIO POLITICA.

JURE NEUNDINARIUM

In Electorali V. Michaelis Academia


M. CHRISTIANO LYSERO,



Typis JOHANNIS...



I. N. J.



Nstant Nundiaꝝ Lipsienſes Autum-
 nales. Accurrunt undiq; mercato-
 res, cives & exteri ex locis etiam dis-
 ſitiſſimis itinera per longa emetien-
 tes; advolant Viri Principes, Nobi-
 les, plebeji omnis generis, ac cōditionis, quos mo-
 dō cogitare, nedum nominare poteras; hic pedi-
 bus, ille equo, alius bigâ, trigâ vel etiam quadrigâ
 vehitur, quō ad pulſum campanæ in foro leſe ſi-
 ſtat, merces ſuas expoſiturus, vel ab aliis allatas ſi-
 bi mancipaturus. Italus ſericum præſtantiſſi-
 mum; Hispanus goſſipium delicatiſſimum, &
 poma aurea ac citrea fragrantiffima; Anglus pan-
 num generoſiſſimum & ſtannum argento ferè æ-
 quiparandum; Gallus pileos tenerrimos & ſpecu-
 la nitidiſſima; Belga aromata ex Indiis adducta
 pretioſiſſima & multitiā tenuiſſimam; Rhena-
 nus vinum nobiliſſimum; Sileſius linum præſtā-
 tiſſimum; Poruſus electrum rariſſimum; Polo-
 nus equos generoſiſſimos; Moſcovita muſtelas
 ſcyticas pretioſiſſimas; Armenius tapetes ſplen-
 didiſſimos & mirâ arte variatiſſimos; Venetus vi-



tra pellucidissima; Noricus dulciaria piperata sa-
pidissima; Bambergensis glycerizã dulcissimam;
Erphordiensis glastum suum aliis regionibus in-
cognitum affert: ut verè de Lipsiã dicere queas,
quod olim alius de Francofurto edisserere non e-
rubuit: *quicquid dives Oriens, quicquid odoratus
Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quicquid Afri-
ca fertilis, quicquid spatiosa Hispania; quicquid
fertilis Gallia, quicquid omnibus abundantissima
Europa potest habere præclarum, ita hîc exuberat,
quasi in Tenascantur omnia, quæ ubiq³, constat, esse
magnifica.* Alius marsupio, crumenâ, sarcinis
pecuniâ refertis & instructissimis onustus accedit
ut quæ vel necessitas exegerit, vel oculis arriserint
pretiosa secum auferat. Nos autem quia dulcis-
simæ Patriæ, quod inferamus penes nos nihil re-
perimus, (merces enim nostræ literariæ in hisce
quidem nundinis vilissimo venirent pretio) vel
quicquam pretiosi inde efferre posse non confi-
damus, cum, ut mos Academicis esse solet, num-
mis haud abundemus, itaq; relinquimus nego-
tiatoribus nûdina sua negotia; nos otio nostro
literario dabimus operam; includantur illi taber-
nis suis lucrum à Mercurio suo expectantes; nos
in abdita Mularum secedemus, Eruditionem &
bona nunquam intermoritura à Jove præstolabi-
mur; desudent illi in exponendis, vendendis, vel e-

men-

mendis mercibus, in solvendis cambiis, in numerandis pecuniis & ad nauseam usq; desudent; nos desudabimus in libris volvendis ac evolvendis, procul futuri ab eo periculo, quod mercatores aliosve, solutionem præstare non valentes, manet, ubi per pullum campanæ finis nundinis imponitur. Ne tamen in contemptum vel Patriæ, cui omninò melius quid debere nos novimus, vel nundinarum hæc à quòquam trahantur, non detrectamus nunc adesse nundinis, ut spectatores tamen; lustrabimus easdem non cominus, sed eminus, & quæ nobis de Naturâ Nundinarum & Magistratus summi circa easdem Jure innotuerunt, paucis thesibus omnium oculis exponemus. Adsit SS. Trias!

Thef: I.

Jus Nundinarum, cujus naturam paucis delibaturi sumus, est summa circa Nundinas potestas, primò illi soli, qui majestatem habet, competens. Duo hic nobis sunt degustanda: Nundinæ videlicet ipsæ, & Is, qui circa eas potestatem summam obtinet. Nundinæ unde acceperint nomen inter omnes non omninò convenit. Alii à Nundinâ Deâ Romanorum dictas volunt, quæ apud Romanos inter Præsides ac Tutores infantium magnæ Religionis erat: & hoc nominis adepta est à nonâ die, Lustrica alioquin appellata, quâ infantes lustrabantur & nomina ipsis imponebantur, ut ex *Macrob. l. 1. Saturn. c. 16.* & *Festo Pompejo referunt Alexander ab Alexandro l. 2. Genial. dierum c. 25. pag. 240.* & *Rosinus l. 2. Antiq. Rom. c. 16. p. 96.* Alii & quidem rectius nundinas quasi novendinas à nonâ die dictas putant. Cum enim olim frequentes nimis Romæ mercatus instituerentur & tertio quoq;

die negotiatores alijq; convenirent, sicq; suburbani alijq; ab agrorum culturâ impedirentur, constitutum fuit, ut octo dies agrorum culturæ impenderent, nonum autem rebus urbanis & nundinis destinarent. *Nundinarum enim conventus, manifestum est, propterea usurpatos, ait Columella p̄s̄fat. l. i. citante Alex l. c. ut nonis tantummodò diebus urbana res agerentur, reliquis administrarentur rustica.* Sic Macrobi: l. i. Saturn. c. 16. ex Rutilio refert, Romanos instituisse Nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent; nono autem die, intermisso rure, ad mercatum legesq; accipiendas Romam venirent, & ut scita atq; consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita à singulis & universis facillè noscebantur. Atq; hæc derivatio & nobis arridet maximè, præcipuè cum & Alexandrum ab Alexandro, Rosinum, Becmannum & alios eâ in re habeamus Antecessores.

Thef. II.

Non autem h. l. nundinarum nomine intellectum volumus vel solum locum, in quò ob emptionem mercium & venditionem solent convenire negotiatores; vel solum tempus, quando convenire solent: sed ipsum emendi ac vendendi actum certo loco, certoque tempore suscipiendum & quidem à Magistratu Summo institutum: Quem alii Conventum mercimoniale, nomine tamen nimis generali, appellare amant. Germanis dicitur *Messe* (id nominis quidam derivatum volunt à *Messa* l. *Missa*, quia eo potissimum tempore, dum missa legebantur, quod bis aut ter quotannis fieri solebat, propter frequentiam convenientium, *Nundina* committebantur; At cur ad alias linguas recurrimus? quasi Germanica non sit dives satis? Quid prohibet *Messe* dicere à *Messen* metiri, unde *ein Maß* mensura; cum pleræq; merces aut pondere aut modio, aut ulnâ mensurari consueverint; Si verò in vocabulis ludere & allusionem quærere velis, utramque derivationem licebit conjungere, asserendo, ideò Nundinas dici *Messe* quia metiendo haud pauci Mercatores, eorumque ministri tot dolos, tot fraudes, tot mendacia, tot perjuriam committunt, ut singulis momentis & oculi ictibus Missis opus habeas, quibus eorum animas ex purgatorio, quo se dignos reddunt, liberares) it: *Heer Messe* quò nomine præcipuè illas nundinas annu-

annuas Magdeburgi die Mauritii haberi solitas venire, author
est Dresserus de Urbibus Germanicis. Insuper nec eâ latitudi-
ne vocem Nundinarum accipimus h.l., ut omnes omninô mer-
catus seu anniversarios (nobis *Jahrmärkte*) seu hebdomarios
(*Wochenmärkte*) s. pecuarios (*Biehmärkte*) examinandos no-
bis sumamus. Horum enim constitutio ad jura Majestatis, de
quibus nos h.l., adeò non pertinet, sed possunt etiam (in nostro
quidem Imperio) ab inferiori Magistratu, à Principe vel Comite
in territorio ejus institui, mutari s. in aliud tempus transferri &
aboleri. Sed *potissimum ac primariò agimus de Mercatibus illis
Universalibus*, quæ Leges suas ac privilegia à Principe vel Magi-
stratu superiorum non recognoscente, accipiunt.

Thef. III.

Definimus autem *Nundinas, mercatos universales ac solen-
nes, certo loco ac tempore à Magistratu summo institutos, certis pri-
vilegiis ornatos ad Reipb: emolumentum & commodum*. Genus
mercatus esse asserimus. Hic enim terminus latior est & non
modò nundinas complectitur, sed & alias emptiones ac vendi-
tiones, extra tempus nundinarum propriè sic dictarum susce-
ptas: Omnes enim Nundinæ *mercatus* dici debent, cum in iis
semper fiat mercium permutatio, emptio, venditio & alii actus,
in mercatu fieri consueti. *Universales* autem dicimus, non, quod
in universo Imperio omnibus Civitatibus sint cõcessæ, sed quod
omnes subditi, omnes exteri ac peregrini s. Christiani s. Judæi
l. pagani, s. bonæ s. malæ famæ liberum ad eam Civitatem, in
quâ celebrantur, habeant aditum: & quod omnes ferè omnium
generum merces in illis venum exhibeantur. Et hâc ratione
Nundinæ opponuntur mercatibus particularibus, quos invise-
re & merces quaslibet adducere non licet cuilibet, quales sunt
mercatus hebdomarii, item pecuarii, in quibus non nisi pecu-
des venduntur. *Solennes* dicimus, non modo quod certis ac
peculiaribus ritibus & solennitatibus sint à Principe institutæ,
sed & quod multa in earum celebratione occurrant solennia,
quæ in aliis mercatibus invenire haud licet, de quibus postea.

Thef. IV.

*Primus quis Nundinas invenerit, certò affirmare non aude-
mus,*

mus, cum infallibili historicorum fundamento destituamur. Mercaturam quidem & negotiationes statim post diluuium tēpore Patriarcharum usitatas fuisse, sacræ pariter & profanæ testantur historiæ. Utrum vero solennes tales nundinas, easque universales celebraverint statim, & quis populus, quæ civitas primas introduxerit, de eo in Historiographis certi quid non reperimus. Alii *Græcia* primos offerunt natales, ex l. 2. ff. nund. *Easq; non quolibet tempore, sed in plenilunio tantum, non vero cum in damno Luna aut decremento esset, celebratas fuisse ex Rosino l. 5. Antiq. Rom. c. 37. lit: D.* Quidam docere satagit; at fallitur, cum Rosinus non de nundinis l. c. agat, sed de nuptiis; quamvis *Thomas Dempsterus in auctar. Antiq. Rom. ad b. l. ex Scholiast: Thucid. l. 1.* hujus ritus mentionem faciat. Alii *Romania* laudem hujus saluberrimi inventi tribuunt, ut ex parte constat ex iis, quæ *S. I.* dicta sunt. Quis autem primus novendinarum s. Nundinarum Romanarum author sit, nec inter eos satis convenit. *Originem earum quidam Romulo assignant* (verba sunt *Macrobii l. 1. Saturn. c. 16.*) quem communicato regno cum *T. Tatius* sacrificiis & sodalitatibus institutis Nundinas quoq; adjecisse commemorant, sicut *Tuditanus* affirmat. Sed *Cassius S. Tullium* fecisse Nundinas dicit, ut in urbem ex agris convenirent, urbanas rusticasq; res ordinaturi. *Geminus* ait, exactis jam Regibus diem Nundinarum cepisse celebrari, quia pleriq; de plebe, repetita hujus *Tullii* memoria parentarent ei in nundinis; cui rei etiam *Varro* consentit. Hæc *Macrobius* & ex eo *Rosinus l. 4. Antiq. Rom. c. 17. p. 229.* Neuter tamen suam de origine Nundinarum sententiam exponit. Licet vero hæ nundinæ primæ omnium fuerint, non tamen haberi possent pro solennibus & universalibus, de quibus nos agimus, cum potissimum in gratiam rusticorum institutæ, per unicum tantum diem celebratæ & aliis ad nundinas necessariis requisitis destitutæ fuerint. Meminit quidem *Tacitus* nundinarum Romanarum, certo tempore per plurimos dies continuatarum, in quibus maxima Italiae pars & exteri quoq; convenirent *l. 1. Histor.* Quando autem, quibusve solennitatibus illæ cœperint & celebratæ fuerint, de iis equidem nobis nil constat. Antiquissima *Tyriorum* urbs tempore *Gedeonis Israelitarum Ducis* 240 annis

annis ante Templum Salomonis condita, referente *Cluver. Epist. Histor. p. 21.* duobus seculis tantam per negotiationes ac mercaturam assecuta est celebritatem, ut non modò Davidis Israelitarum Regis tempore instructissimâ ac potentissimâ classe, mercium apportandarum causâ, Africae & Hispaniae ora maritima ditissima adierit, sed & ejus Nundinae à frequentia mercatorum ex omnibus terrarum oris confluentium; ab abundantia omnium, quae modò cogitari poterant, totius orbis mercium; à splendore ac divitiis Negotiatorum, ut amplissima & toto orbe inclytæ depraedicentur ab ipso Spiritu S. per *Ezech: c. 27* eo tempore, quo Urbs quasi in cunis adhuc degeret: at vero nec harum nundinarum initium, ut & celebrandi solennitatem ac modum determinare possumus.

Thef: V.

Cum igitur certam ac definitam originem Nundinis assignare non valeamus, non malè fecerimus, si eandem ad jus gentium secundarium referamus. Cum enim omnibus, quibus opus habet, mercibus quavis regio vel natio instructa non sit, hinc necessitas coegit, ut beneficio mercaturae necessariae merces in Rempbl: inveherentur & minus necessariae exportarentur & haec vel invicem permutarentur vel certo pretio emerentur ac venderentur; Cumq; omnibus temporibus omnes merces apportare non conduceret, sed tum mercatoribus tum Reipb: magis ex usu esset, ut omnes eodem tempore, eodemq; in loco convenirent, hinc procul dubio primò ipsi mercatores id definire; postea vero cum Magistratui commodum istud ex Nundinis in Rēpub. redundans innotesceret, hi officio suo facturi satis, eas certis legibus, privilegiis ac solennitatibus ornatas, suisque mandatis constitutas ac formatas esse voluerunt. Nundinas itaque ratione primae inventionis, ratione emptionis ac venditionis & permutationis & aliorum his annexorum ad jus gentium referimus & à gentibus & mercatoribus quasi tacitò aliorum consensu introductas censemus; At ratione legalis institutionis & per certas leges factae corroborationis, ut & ratione privilegiorum, immunitatum ac solennitatum, quae in iis concurrunt,

B

runt,

runt, *ad Jura Civitatis*, quæ soli Principi conveniunt, accensendas esse asserimus: Quod th. ii. & seq. prolixius probabitur.

Thef. VI.

Efficiens Nundinarum est Magistratus summus, superiorem non recognoscens; de quo postea. *Instrumentalis* quasi, Magistratus inferior est, Dominus ejus loci, ubi Nundinæ celebrantur, per quem Princeps Privilegia de salvo conductu, non arrestando & alia exercet. *Materia* duabus absolvitur: personis scil: & rebus. *Personæ* potissimum ac primariò illæ sunt, quæ circa merces importandas & exportandas sunt occupatæ: Et hæc ejusdem sunt generis. Aliæ enim sunt mercatores ipsi, s. Domini mercium; aliæ ministri s. famuli eorum & scribæ; post bajulatores, aliæq; quatum operâ Mercatores opus habent. Cæterum cum *mercatura* apud omnes eadem haud sit, sed alia *splendida & diffusa s. nobilis*, quæ *Keckermanno summaria* dicitur, quia majoribus summis absq; parvis ponderum vel ulnarum, mensuris exercetur; alia *ignobilior & minus liberalis vel planè sordida, minutior Keckermanno dicta*, quando merces s. pretiosiores sint & mundiores s. sordidiores parvis mensuris ac ponderibus venduntur; Hinc etiam *Mercatores alii nobiles* sunt, qui publicæ necessitati subveniendi & honesti lucri (à quò usura illicita, fraus, dolus ac pejeratio abesse debet) faciendi causâ in mercibus licitis frequenter permutandis, in Rempub. importandis vel exportandis, vendendis vel emendis occupati sunt; *alii ignobiliores vel etiam sordidi*, qui à mercatoribus aliis mercantur, quæ ipsi iterum statim vendant, vel circa sordida etiam versantes, quæstus lucrique sunt mancipia, ac, quibus modò fieri potest modis, fraude, imposturâ, dolis, mendaciis & perjuriis per fas, perq; nefas lucro inhiant: hi alias dici solent *Dardanarii* à Dardano profligatissimo quodam Mago, qui maleficis artibus annonam in granaria sua avertere & mensuras in admetiando minuere solitus erat. Ut tradit *Schonb: l. 3. Pol. c. 45.* Reperias insuper alios, qui nundinis non infrequentes adesse solent, *Medicos empyricos, Myropolas, Aleatores, pugiles, histriones, manticularios*, à quibus non longè distant circumforanei *Judæi*: Hi cum mediis partim minus honestis & licitis, partim

pla.

planè prohibitis, omnes autè dolo, fraude, mendaciis, & si quid
pejus dici poterit, non tantum peregrinos, sed & cives pecunià
exuant, in benè constitutâ Repub: aut planè à nundinis arcendi,
aut certè non in tantâ copiâ & frequentiâ admittendi erunt. Id
vero omninò observandum est, eos s. Mercatores s. quicumque
alii sunt, ad Nundinarum frequentationem admitti *omnes*, ea-
rumq; privilegiis frui, nisi forsàn speciali aliquâ vel nova lege
à Magistratu exclusi sint. Lex enim specialis vel nova,
ut notum est, derogat legi generali & antiquiori. Atque hinc
patet, illos, *qui sunt hostes Reipub: aperti & per belli indicio-*
nem à toto territorio & omni commercio exclusi; qui scelerum
& criminum atrociorum rei, profugi facti, vel citati, vel omni-
nò per Magistratus sententiam damnati; qui ob crimina banni-
ti & è Repub: vel ad certum tempus vel in perpetuum proscri-
pti; qui ipsimet jure suo & privilegiis, quæ obtinebant, cesserunt
vel ob fractam temerè, nefariè & malitiosè fidem mercatorum,
& nundinarum privilegiis indignos sese reddiderunt, omni ju-
re ab ipsis nundinis & à privilegiis de favo conductu & non ar-
restando, aliisq; exclusos esse.

Thef. VII.

Mercium nomine intelligimus omnia illa, quæ contractui
emptionis vel venditionis subjacent. Cum autem omnes o-
mninò merces in Rempub: deportari vel ab eâ reportari, sicque
de iis nundinari semper consultum hæc sit, ideoq; requirimus:
1. ut sint intra commercium hominum positæ, nec vel jure divi-
no vel gentium vel naturæ ab eodem exemptæ; quales sunt res
sacræ & religiosæ, (in quibus Simonia versatur) negotiationes in
personas librorum, uxorum &c. Huc referas etiam officia Ma-
gistratum, honores & dignitatem, quæ virtute, eruditione ac
prudentiâ, non pecuniâ æstimari convenit, sicut ac hodie in
Galliis fit, ubi talis mercatura est frequentissima, quam tamen
Bodinus l. 4. de Rep. c. 4. p. 435. mercaturam omnium fædissimam
& pestem Rerump: dicere non veritus est. 2. ut merces illæ sint
in potestate vel dominio vendentis. 3. ut legitimo titulo acqui-
sitæ, non furto, non rapinâ, aliisvè modis illegitimis. 4. ut ne
sint tales, quæ regno & incolis obsint, si importentur vel indi-

gentiam incolarum adaugeant, si exportentur. 5. ne sint tales, quibus illatis, patria & nativa viliora sunt. 6. ne sint tales, ut si transportentur ad hostes, illi iisdem contra nos juvari possint ut sunt loricae, arcus, enses, gladii vel alia arma, equi militares.

Thef. VIII.

Forma Nundinarum alia Essentialis est; alia Accidental.
Essentialis consistit in solenni ac privilegiata emptione & venditione: Qui tam *necessarii actus* sunt, ut sine eis nundinae haud esse queant. Mercatus enim sunt nundinae, adeoque sine mercium emptione & venditione, qui actus hodie sunt usitatissimi, absolvi nequeunt. Non tamen exclusos volumus alios *actus* Emptionem & venditionem *vel antecedentes*, ut est mercium apportatio, tabernarum apertio, mercium expositio; *vel consequentes*, ut mercium ablatio, pecuniae solutio vel æquivalentis mercis redditio s. mercis cum merce permutatio; item cambiorum solutio & quæ alia hinc occurrunt, & à nobis, utpote nundinationes non exercentibus, sine reprehensione ignorantur. *Solennem autem & privilegiatam* emptionem & venditionem requirimus ad formam Nundinarum constituendam: cum quævis emptio & venditio ad Nundinas non statim sufficiat, quippe quod talis contractus etiam alio tempore, alioque in loco, quam ubi nundinae celebrantur, institui possit ac instituatursæpissimè. *Solennitatem* autem hanc accipiunt Nundinae *partim ab Authore* easdem instituyente, qui suam majestatem suisque diplomatibus, ex plenaria & summâ potestate fluentibus, auctoritatem & splendorem iisdem conciliat: *partim à Legibus ipsis ac privilegiis*, quibus quasi colligantur & continentur Nundinae, ne in mercatus simplices transeant. In genere autem observandum est, // Privilegia ad formam Nundinarum requiri, *non autem definitè hæc vel illa*: Cum non tantum diversarum nundinarum diversa & alia possint esse privilegia, sed etiam ejusdem Civitatis nundinarum privilegia jam plura, jam pauciora esse queant, prout Principi visum fuerit. Concernunt vero *privilegia ista vel personas vel res* nundinarum. Personas attinet privilegium *de salvo conductu* omnibus ac singulis, qui nundinas adire volunt, dando, s. privilegium *de securitate* omnibus s. mercatores fuerint,

rint, sive alii, non tantum peregrinantibus in via præstanda, sed
& in ipso loco Nundinarum, ut quilibet tuto ac liberè eundem
accedere, tuto in eodem negotiari & commorari, tutoq; ab eo-
dem recedere possit. Huc pertinet *privilegium de non arrestan-*
do, quod scilicet mercator ob debitum s. ante nundinas domi
sive in ipsis etiam nundinis contractum, durantibus nundinis, si-
ve postquam per signum campanæ initium earum factum & an-
tequam per idem signum finitæ sunt, arrestari non possit vel de-
beat, nisi forsan ipse juri ac privilegio huic renunciaverit, quò
de Jureconsulti. *Peculiare etiam Mercatorum privilegium est,*
quo fruuntur in probandis nominibus. Non enim opus ha-
bent, ut eam in rem semper producant chirographum debito-
ris, sed libri eorum, quos vocant mercantiles (si modò ordine
scripti ac confecti & servati fuerint, & cum debitis circumstan-
tiis, rationabili suspicione carentes, ipsa etiam fides Mercato-
rum non sit dubia) tantæ sunt autoritatis, ut fides eis omnimo-
do habeatur, & si quæ dubitandi adsit causa, non nisi juramen-
rum in probationis supplementum adhibeatur: vid: *Tolos. tom.*
1. l. 4. de Rep. c. 7 §. 13. Sunt insuper & alia privilegia, quæ mer-
catoribus concedi solent v g. de non solvendo intra quinquen-
nium, quòd aliàs *induciarum monitoriarum* nomine venit; item
de mercibus quibusdam, ab uno vel altero mercatore tantum
vendendis, quòd *Monopolii* titulo insignitur; Hæc autem ut &
alia plura prolixè exequi, instituti nostri nõ est; cum primis quia
hæc non tam nundinas, quàm mercatores in genere concernunt.
Id vero semper notandum est in privilegiis hisce dandis, si uni-
versalia non sint, sed particularia, *ad cives potius, quam ad exte-*
ros respiciendum, nec facilè extero cuidam privilegium, civibus
posthabitis, concedendum esse, cum in omnibus negotiis civi-
um potius, quam exterorum Princeps rationem habere debeat,
si Patriæ Pater nuncupari desideret. Porro circæ res sive merces
invehendas vel avehendas haud pauca Nundinarum & cõmer-
ciorum solent esse privilegia. Tempore enim Nundinarum
merces sunt usus communis, ut cuilibet iisdem, quibus volue-
rit, negotiari liceat. Privilegium de securitate & non arrestan-
do supra de personis adductum etiam ad res & merces sese ex-

vendit. Ita merces quædam sunt privilegiatæ ab omni vecti-
gali, v. g. libri; item merces à Principibus vel etiam studiosis em-
ptæ, quæ sine portorio avehi possunt. Huc refer etiam privile-
gia *Bursa Mercatorum* & aliis locis, in quibus negotiationes in-
stitui solent, indulta. At *Accidentalem formam* spectant ritus
illi solennes, minus tamen necessarii, in Nundinis observari so-
liti, qui pro diversitate locorum diversi esse solent. Sic *Lipsiæ*
per *pulsam peculiaris cujusdam campanæ* hora XII. primæ nundi-
nalis diei signum datur initii Nundinarum, ita ut ante signum
hoc nulli peregrino & advenæ liceat tabernam in forum addu-
cere vel merces suas venum exponere. Sicuti etiam postea fi-
nis Nundinis per idem signum imponitur, nec liberum amplius
est quibusdam æquè ut ante nundinari. Hic tamen campanæ
usus in Nundinis *Frankofurtensibus* haud parum diversus est.

Thef. IX.

Finis Nundinarum est utilitas Reipub: Cum enim vix ulla
detur Resp. quæ omnibus ad beatam felicemq; vitam necessariis
sufficenter instructa sit, per nundinas autem hasce & necessaria
importentur & superflua exportentur, maximus inde ad Remp;
redundat fructus, id quod experientia docet abundè. Alios
insuper fines ac usus accedere posse *secundarios* videlicet, non
negamus. Sic apud Romanos *leges à Magistratu latæ promulga-*
bantur in ipsis nundinis, antequam per præconem in foro aut
campo Martio publicè præsentate Magistratu recitarentur & à po-
pulo approbarentur. *Cum enim nundinarum causâ ex agris in*
urbem convenirent cives per trinundinum leges, ut à rustica plebe
legi cognosciq; possent, patere voluerunt, inquit *ex Macrobio Ro-*
sin. l. 7. Antiq. c. 2. conf. l. 4. c. 17. Postea etiam usus componenda-
rum inter rusticos litium introductus est *lege Hortensia*, quæ mā-
dabatur, ut nundinæ, quæ prius erant feriæ, Fastæ essent, ut Ru-
stici, qui nundinandi causâ in urbem veniebant, lites compone-
rent, quod etidem ex Macrobo: docet *Rosin. l. 8. Antiq. c. 1. conf. l. 4.*
c. 17. Atq; eundem morem promulgandi leges & citationes, di-
rimendi lites & promulgandi, quæ populo innotescere debent,
adhuc hodie apud nos, non tantum in veris Nundinis, sed etiam
in Mercatibus aliis observari, nemini, opinor, ignotum est. Sic
olim

olim apud Romanos cum pauca essent balnea, nec tot thermas Agrippinæ, Neronianæ, Vespasianæ, Domitianæ, Alexandrinæ, Gordianæ, Severianæ, Aurelianæ & Constantinianæ &c. magnificis sumptibus extructæ Romæ viderentur, *Romani rarò lavabāt, brachiaq; & crura labore fatigati tantum abluerunt, non toti nisi in Nundinis lavarunt*, ut refert *Alexander ab Alex. l. 4. Gen. dier. c. 20.* Pari ratione hodie contingere potest ut Princeps non tantum utilitatis publicæ causâ privilegium Nundinarum alicui concedat, sed insuper etiam ut benevolentiam suam erga civitatem testetur, vel etiam ut gratum sese erga civitatem benè de se meritam exhibeat.

Th. X.

Adjuncta Nundinarum sunt *Locus & Tempus.* Hæc enim ut definiatur omninò interest omnium, præcipuè Mercatorum, ut sciant quando & quò in loco merces exponendæ sint. Locus urbs aliqua esse solet. Ad securitatem enim tum mercatorum, tum mercium necessarium omninò est, ut locus nundinarum mœnibus includatur, quò ab omni vi & direptionibus omnia libera sint & tuta. Licet autem cuilibet Mercatori, quò placuerit tempore, integrum sit & merces suas apportare & deportare, non tamen incommodum est, si certi dies sint destinati, ut hisce tum ementes, tum vendentes eò ampliori frequentiâ queant confluere. *Requiritur autem ad Locum:* I. ut commercia commo-
mercium commodè in eo possint exerceri; quo facit opportunitas loci, si ille accessu sit facilis, ut & à terrâ & à mari facilis mercium sit importatio; si urbs ad mare vel fluvium quendam sita sit, ut naves onerariæ in mediam urbem introire possint. Sin urbs à portu absit longiusculè, non sine magno labore; magnoq; sumptu merces advehi oportet, multo majori copiâ bajulatorum, jumentorum, aurigarum indigebimus, majoresq; adeo sumtus faciemus, quam si in ipsum sinum onustas mercibus classes admittere queamus. II. Ut certis immunitatibus ac privilegiis singularibus ac libertatibus sit munitus, quò exteri alliciatur, ut libenter suas merces eò devehant, aut etiam ibidem commorentur. III. Si fieri potest, locus ita distinctus esse debet, ut alio in loco hoc; alio illud ematur aut vendatur, ut quilibet illud faci-

facilius invenire possit; alibi oves, alibi panes, alibi carnes, alibi sericum, alibi lana, alibi lintea; alibi artificum manu facta, veneant. Non enim omnia unum capere potest forum, non omnia in unam eandemq; deferenda plateam sunt; nec omnia omnibus locis indifferenter venundari convenit. Minus decorum est forum primarium suis vendendis destinare, carnes, cepas, caseos foetidissimos & alia hujus generis ante aedes Virorum in Urbe Clarissimorum exponere; extra moenia hæc releganda sunt, vel locus aliquis abditus vel remotus à Virorum Excell: contubernio assignandus est, si de benè constitutâ Rep: velimus gloriari. Cum autem ob negotiationes sæpè congregandi sint Mercatores, ideoq; peculiaris aliquis & quantum fieri potest, commodissimus locus destinandus est, in quo Mercatores conventus suos mercatorios instituere queant. Hunc appellare solent Bursam Mercatorum die Börse quod nomen à familiâ quâdam Brugensi nobilissima von der Bense /cujus in sine erant tres bursæ, in cujus ædibus Magnificis conventus isti celebrari consueverant, acceptum, postea ad Hollandos, Gallos, Anglos, Germanos translatum est: Vid. Limn. l. 7. l. P. c. 7. §. 75.

Th. XI.

Lustravimus hætenus aliquantulum juris nostri objectum s. Nundinas ipsas, nunc etiam ad Subiectum ejusdem perveniendum est, quod alium esse negamus præter eum, qui Majestatem s. summam potestatem habet, nullumq; superiorem agnoscit. Id quod seqq: rationibus & exemplis firmissimè demonstrari posse confidimus. Certum est, Principis curæ subjacere non ea modò, quæ absolute necessaria sunt Reip: adeò ut sine eis Resp: vel vera & perfecta esse vel consistere nequeat, ut sunt Leges, Magistratus, Religio &c: sed & illa, quæ quodammodò necessaria sunt, ut sine illis Resp: non possit esse felix & beata. Principis enim est, non modò de Rep. cui præ est cogitare, sed & de ejusdem salute publicâ sollicitum esse, ut eandem felicem & quantum fieri potest, beatam reddat. Jam Nundinæ universales & solennes non quidem sunt absolute necessariae in Rep: ut sine illis Resp: esse vel stare non possit; Lubentes enim largimur, possedari & dari etiam tales Resp: in quibus Nundinæ à nobis

bis

bis definita; non visuntur; Interim tamen aliqua & ea quidem earum in Rep: benè constituta est necessitas, ut hæc sine illis undiq; quâ felix & beata prædicari haud possit. Quæ enim unquam dabitur vel nominabitur Resp: quæ omnibus necessariis ita abundet, ut non opus habeat cum aliis populis commercio: quæ adeò omnium rerum indiga est, ut non habeat, quod aliis tanquam superfluum ipsa possit erogare & communicare. *Hispania* utut abundet vinis generosis, destituitur tamen linteo & aliis ex lino confectis. *Italia* abundans serico, destituitur frumento: *Germania* dulcissima nostra patria utut omnibus penè necessariis sit instructissima, serico tamen, aromatis, pannis generosis, aliisq; non paucis destituitur. Facilius autem, quâ quæ desiderat Resp: acquirere possit, ratio inveniri haud poterit, nisi mercatura, nisi nundinæ. Hæ foederatas Belgii provincias eò felicitatis deduxere, ut post excussum Hispaniarum jugum libera audiant Resp. & Præpotentes Belgii Ordines: Hæ Antwerpiâ adeò ditarunt, ut *Emporium totius Europe quondam celeberrimum & urbs totius terrarum Orbis splendidissima* dici metuerit à *Cluv. l. 2. Introd. Geograph. c. 29.* Venetorum Resp: soli negotiationi debet, quod potentissimis Monarchis sæpe resistere potuit. *Qui in clutas civitates & regna quarunt, negotiationem augeant necesse est,* ait *Adamus à Contzen lib 8. Pol. c. 10. § 2.* Princeps itaq; Mercaturam, Princeps Nundinas sibi habeat commendatas, quò per eas Reip: suæ felicitatem, quò prosperitatem & beatitudinem ejus promovere & augere queat. *Falluntur enim, qui felicitatem metiuntur civitatis & Reip: optima statum optimum ex sola virtute, & dicunt in civitate Mercatores esse non oportere, & vilem existimant esse hujusmodi vitam & virtuti adversam, nec debere eos cives esse, quia opus sit virtute & otio ad virtutem comparandam & Remp: regendam: Sed ista somnia & Chymera potius in Rep: humana mihi videntur, quàm ut sint Imperanti exsequenda,* ait *Tolos l. 4 de Rep. c. 7. §. 2.* Quid? quòd bonum Principem omninò deceat omnem curam adhibere, ut subditorum bona etiam privatâ conservet & ad augeat, quò ipsi opibus & bonis sint instructissimi. In hæc enim subditorum & Civium felicitate, in hæc bonorum affluentia non parum sita est ipsa Ci-

C

vita-

vitatis salus, quippe quæ salutem Civium exigit. Bonis si abundent Cives, & tempore pacis, quæ ad splendorem Reip: & ad augendum ærarium publicum faciunt, suppeditare, & belli tempore sumptus ad repellendum hostes necessarios erogare possunt. Quò enim plures & potentiores in urbe sunt cives, eò plura sunt subsidia Reip: multiq; modi Civitatem conservandi. *Nam variarum rerum copiam ad omnes evētūs habere, utilissimum est. Lucrum indigentia auxilium est* inquit *Adam: à Contzen lib. 8. Reip. c. 10. §. 5.* Et si stare in primâ acie, inter tela versari, obire excubias, vitam fragili rati committere, idq; propter civium salutem in summâ majestate maximum Principum decus censetur, sane nec iadecorum erit pro bonis Civium eorumque augmento curas & sollicitudines necesse. Cum autem subditorum bona & res maximè per commercia & nundinas augeantur, utiq; inter primas Principis curas recensenda erit de commerciis ac nundinis sollicitudo: Vid: *Keckerm: l. 1. Syst. Pol: c. 24. p. 246.*

Th. XII. Si Princeps totius Reip: ac omnium eorum, quæ publica sunt in civitate, Præses ac Moderator esse vult, imò debet, nisi Majestatem, quæ summa est in civitate ubiq; sive ratione omnium potestas, ex parte tantum velit obtinere, nisi titulum Principis immeritò ac minus convenienter sine re vid: sibi velit assignatum, hanc Nundinarum curam & potestatem alii, sive intra s: extra Remp. sit constitutus, abdicativè, ut loqui solent, relinquere Princeps nec potest, nec debet, sed soli sibi debitam retineat, necessum est. Nundinæ namq; res privatæ & unum alterumve saltem concernentes haud sunt, nec in hujus tantum vel illius Civis commodum institutæ, sed sunt res totius Reip: omnes in ea cives, ipsumq; etiam Principem attinentes, & in horum omnium ulum ac emolumentum destinatæ. Quare & illi, qui publicam rem non neglectam, sed conservatam sed auctam vult, Nundinarum cura incumbit vel maximè.

Th. XIII. Porrò ea, quæ in Nundinis fieri consuevere, emptiones & venditiones, permutationes, obligationes debiti vel Cambiorum solutiones, omnesq; contractus, qui inter vendentes

tes

tes & eementes inhi solent, nisi certis constringantur legibus,
nisi de securitate per decreta & mandata, omnes obligantia,
tum mercatoribus, tum mercibus prospiciatur; nisi per save-
ntissimas pœnas à furtis, rapinis & latrociniis fures & latrones
deterreantur: quis est, qui Nundinis interesse, qui merces ap-
portare & exportare, qui vendere, emere & contractus inire
desideret? Sane Nundinæ rapinis, furtis, injuriis, latrociniis,
omnibusq; omnium malorum sceleribus essent expositæ, adeo-
que meritò ab omnibus negligendæ. Cum autem solus Prin-
ceps leges hasce rogare, mandata talia promulgare & pœnas de
linquentibus decernere queat, id quod nemo, opinor, negare
audebit, solus etiam Princeps s. qui Majestate gaudet Nundinas
instituire, easq; certis legibus, decretis ac privilegiis firmare
poterit, soli Principi jus Nundinarum assignandum erit. Tan-
dem si Magistratus inferioris officium est, in usum suæ civitatis
ut instituat mercatus hebdomarios, quot viderit ex usu ejusdè
fore; multò minus Princeps à curâ Nundinarum s. mercatum
universalium arcendus erit, si eas toti Reip: maximè proficuas
fore ipsi videbitur.

Th. XIV. Hinc est, quod ipse *Aristoteles l. 6. Pol. c. 8.* neces-
saria officia Magistratus recensens, etiam ea, quæ circa forum
& circa contractus sunt, eis annumeret. Per Magistratus au-
tem hosce, quorum officium erat *πρὸς ἀγορὰν καὶ πρὸς σὺν ἀλ-
λαγμὰτα*, quid intelligat, ipse exponit ab initio hujus capituli.
Utitatissimi nempe apud omnes ferè Græciæ civitates erant
Magistratus *ἀγορᾶνομοι*, quorum officium erat curare, ut o-
mnia in foro compositè ac citra tumultum agerentur, ut absti-
nerent à mendaciis, fraudibus, rixis, perjuriis tum eementes, tum
vendentès. Hunc Magistratum Aristoteles primum inter Ma-
gistratus in civitate maximè necessarios recenset, additâ ratio-
ne à necessitate contractuum emptionis scil: ac venditionis de-
sumptâ: quod sicut emptio & venditio sive rerum ad usus vitæ
necessariarum permutatio vel commutatio ad *αὐτὰρχειαν* seu
sufficiëntiam & rerum necessarium copiam maximè necessaria
sit, adeò ut propter istam homines in Remp: convenisse videan-
tur: ita etiam Magistratus, qui harum rerum curam gerat,

maximè necessarius erit. Sic etiam *Plato l. c. de Rep.* differens de Civitatis s. Reip: maximè necessariis, forum rerum venalium mirè commendat, ut vel hinc existimet *Giphan. Com. ad h. l.* ex *Platone* hanc de Magistratum istorum necessitate sententiam, *Aristotelem* hausisse. Notandum autem est, *Aristotelem l. c.* differere de illo Reip: statu, in quo populus imperat. Quando igitur h. l. à populo tales Magistratus institui vult, qui fori & contractuum curam suscipiant, eò ipso insinuat, etiam in aliis Reip: formis eum, qui Majestatem obtinet, vel ipsummet, vel per alium inferiorem Magistratum res fori & contractuum adeoq; & Nundinas curare deberé. *Aristotelem & Platonem* sequuntur hodie tantum non omnes Jcti pariter & Politici ac Juris Publici scriptores, qui jus commerciorum ac in specie Nundinarum ad Regalia s. Jura Majestatis referunt: inter quos est *Besoldus, Clapmarius, Carpzovius, Brautlacht, Limneus, Lampadius, Arumeus, Schönborn, Keckermannus, Liebenthal* aliq;.

Th. XV. Quoniam ergò Jus circa Nundinas regale est, & ad Jura Majestatis s. Imperii pertinet, non possumus non illud summo Principi & Majestatem in Rep: obtinenti assignare. Idq; olim etiam in Rebusp: ab earundem Rectoribus & Præsilibus ita observatum esse, testantur Historici, utut eosdem in hac materia negligentia dicam an taciturnitatis accusare cogamur. De *Græcis ex Aristotele & Platone* docet *Giphanus Com: ad l. 8 Pol. c. 6.* Magistratum, qui *Græcis* dicitur ἀγορεύου, apud omnes fere *Græcos* fuisse usitatum, ejusq; officium maximè positum fuisse in foro rerum venalium & rebus contrahendis s. contractibus, ut & fraudes ex rebus contrahendis tollerentur & mendacia venditorum ac institorum sive tabernariorum coercerentur, librae, mensurae, modii justii essent, ut clamores, convicia, rixae, perjuria, verbera, carmina famosa, aliq; id genus turpia & flagitiosa tollerentur. Nempe status illi erant populares, hinc Magistratus hi summi nomine ac vice Populi administrabant omnia ea, quæ in Monarchiâ ad Regem in Aristocratia ad optimates spectabant; cumq; omnium, quæ forum concernunt, curam habuerint, utiq; eis etiam Nundinarum potestas erit vindicanda. De his ἀγορεύουσι *Græcorum*, imprimis *Atheniensium*, eorumq; officio ex *Suidâ*

&

& Platone differentem vide Tolos. l. 2. de Rep. c. 8. De primis Romanorum nundinis, utut accuratè loquendo nundina perfectæ non fuerint, constat ab eo, qui Majestatem habebat, institutas esse. Sive enim Romulus s. S. Tullius s. alius earum primus fuerit author, tamen non nisi ille fuit, qui potestatem habuit leges condendi & populo promulgandi; qui cives ac rusticos ex agris in Urbem convocandi & lites eorum componendi potestate ditatus fuit. Pari ratione *Lex Hortensia* de Nundinis, earumq; mutatione certè ab eo, qui leges ferendi potestatem habuit, lata fuit s. author illius sit *Hortensius Rom. Orator* ab Eloquentiâ Rex caussarum dictus, cujus *Cic. in Bruto. l. 3. de Orat. & vitâ Pomp. Attici meminit; s. Q. Hortensius Dictator* Roman. qui plebem ex Janiculo, in quem ob rebellionem recesserat, revocavit, cujus ex Plinio & Livio meminit *Rosin. l. 1. Antiq. Rom. c. 11. p. 7.* In Gallis, verba sunt *Cl. Arnisei l. 2. de I. M. c. 3. §. 18. pag. 218.* *Soli Regi Nundinarum potestas reservatur, qui de nundinis disponit ad arbitrium, sicut extant Philippi VI. des foires de Champaigne & de Brie: Caroli VI. & Ludovici XI. de foires de Lyon. Henrici II. de foires de S. Denis & aliorum rescripta, quæ largiuntur Privilegia tam mercatoribus, quam aliis nundinatum venientibus, quæ certè præter Principem nemo indulgere potest.* Ac licet ab aliis Principibus in aliis Rebus: pro Regali Jus hoc habitum non fuisset, id tamen non obstaret, quominus hodie vel in omnibus vel saltem in nostra Repub: pro jure Majestati reservato censi possit ac debeat, præsertim cum jura Majestatis ex suâ naturâ haud quaquam exigant, ut omni tempore ab omnibus talia judicata fuerint.

Th. XVI. In Imperio nostro Romano Germanico cuiusnam Nundinarum Jus competat, nunc dispiciendum est. Ac olim, quidem, cum ad Cæsares omnis potestas esset devoluta, etiam hoc Nundinarum Jus ad eum pertinuisse, nemo ambigit, præcipuè cum Jcti id ipsum ex *l. 1. ff. de nundinis & l. un. C. de Nund.* ab Imper: Valente & Valentiniano lata docere & ad nauseam, usq; inculcare soleant. Utut vero ex hisce legibus probari haud queat (prout tamen nonnulli fieri posse putant) etiam hodie, penes Imperatorem solum hoc Jus Majestatis residere, cum hæ

C 3

leges,

leges, ut & alia in l. C. deprehensa (quæ nimis incoogitanter à quibusdam pro probando præsentis Reip: nostræ statu solent allegari) non nisi statum Imperii, qualis fuit tempore, quò hæc lata erāt, exhibeant; non autem Imperii nostri statui moderno, quoad formam à priori multum diverso, quicquam possint præjudicare, quippè qui potiùs ex novis Imperii nostri statutis ac legibus, quæ prioribus omninò derogant, æstimandus sit; affirmamus tamen constanter, *Jus Nundinarum semper penes Imperatores mansisse & etiamnum hodie soli Imperatori unice adscribendum esse*, consentientibus I. P. scriptoribus omnibus, supra Thesi 14. allegatis. Quò facit haud parum, quod etiã *solis Imperatoribus cõpetat Jus concedendi Stapulas die Staffel gerechtigkeit* quod est privilegium, urbi alicui concessum, quò obligantur Mercatores merces vel omnes vel certas quasdam, in privilegio denominatas, è navibus exponere vel plaustra exonerare, persolutoq; debito vectigali merces in civium naves impositas, quòcunque visum est, transvehere. Hoc privilegio ad Rhenum *Coloniam Agrippinam, Moguntiam, Spiram*; ad Mosellam *Trevirim*; ad Danubium *Ratisbonam, Ingolstadium, Passavium*; ad Visurgim, *Bremam*; ad Albim, *Magdeburgum, Hamburgum* ornata esse testatur *Lim. l. 2. I. P. c. 9. §. 130. seq.* Sic Lipsiam hoc Stapularum privilegio dotavit Maximilianus I. Rom: Rex Anno 1507. peculiari eà super re Edicto promulgatò. Atq; hinc est, quod Imperatores potestate hæc Nundinas erigendi jure optimo usi fuerint, id quod patet ex *Institutione Nundinarum Francofurtensium* à Frid: II. facta circiter Annum 1219. Hic enim cum Francofurti Comititia annua vellet celebrari, ut rerum omnium copia adesset, nundinas ordinavit, quæ intermissis annuò illo Imperiali conventu solæ remanserunt, ut ex *Goldasto & Arum*: loquitur *Lim: l. 7. I. P. c. 6. §. 24.* Hæ Nundinæ cum non nisi annuæ essent & semel tantum quotannis in Autumno vid. celebrarentur Ludovicus V. Bavarus non modò hæc Nundinas confirmavit, sed alias *Vernales* adjecit decreto Imperatorio An. 1330: idq; novo decreto An. 1332. declaravit, quod *hæ Nundina, æque ut prioris à Fid. concessa debeant esse solennes, non verò hebdomaria, quales quidem censeri debent omnes, quæ aliis Civitatibus* (foran vicinas tan-

tantum intelligit) *indulta sunt vel porro indulgebuntur.* Quia
imò idem Imperator alio decreto An. 1337 suo & Successorum no-
mine promisit, *se nec Moguntia, nec ulli alii civitati Nundinas con-*
cessurum, quæ bisce Francofurtensibus ullum detrimentum inferre
poterant, siq; forsâ contingat, ut alii hoc Jus concedatur, eam ta-
men concessione nullius roboris & autoritatis fore, sed ad Franco-
furtensium postulatam retractari debere. Postquam autem Frâ-
cofurtenses Guntherum Caroli V. in Imperio æmulum recepis-
sent in urbem, Imper: Carolus Privilegia Nundinarum Franco-
furtensibus abstulit & Moguntinis tradidit. At fugato Gun-
thero & Civitate Imperatori reconciliatâ Carolus novo diplo-
mate An. 1376 eadem Francofurtensibus restituit & denuo con-
firmavit. Porro easdem Nundinas iterum confirmavit *Wence-*
laus mandato An. 1384. promulgato: ubi notanter adjicit (quod
tamen in prioribus decretis reperire non est) *se id facere ex ple-*
nariâ potestate aus Römischer Königlicher Macht. Privilegia
hæc adducit *Limn. l. c.* Insuper Carolus IV. Imper. Nundinas an-
nuales, *annuale forum dictas, per tres septimanas quotannis ante*
& post Festum Pentecostes celebrandas Hamburgensibus indulgit &
quidem ex Cæsareâ autoritate & de plenitudine Imperatoria pote-
statis, ut habent verba decreti An. 1365. quod adducit Limn. l. 7. I.
P. c. 23. §. II. Nundinas *Lipsienses*, quæ sub Novi anni auspiciis
celebrantur, prioribus duabus adjecit Imper: Frid: III. diploma-
te dato An. 1469. cujus in Originali sibi exhibiti meminit Maxi-
milianus I. in Confirmatione omnium trium Nundinarum Li-
psiensium An. 1497. in quâ etiam hæc verba expressè leguntur:
von Römischer Königlicher Macht: (quæ etiam ter habentur in
edicto ejusdè An. 1507. ter in edicto Caroli V. An. 1529. bis in e-
jusdem mandato An. 1547. & bis in Ferdinandi III. decreto An.
1638.) Atq; hæc confirmatio denuo repetita An. 1507. addito in-
super novo privilegio, *jure scil: stapularum & de non instituendis*
Nundinis in ullâ civitate aut pago intra quindecim milliaria Ger-
manica à Lipsiâ distito. Idem privilegium Carolus V. diplomate
Cæsareo An. 1529. firmavit, adjecto denuò alio privilegio, quod
tempore Nundinarum nemini contra eos, qui Nundinis interfunt,
Repressalia concedi debeant. Quæ omnia idem Imper: roboravit

vit mandato novo Anno 1547. His privilegiis omnibus Ferdin:
III. peculiari edicto (cui hæc quatuor verbotenus inserta sunt)
nuperrimè An. 1638. promulgato approbatoriū adiecit calculū:
idēq; à Ferd. II. factum esse memorat. Cæterū *prima initia Nundina-*
rum Lipsiensium colligere poteris ex Dresseri Isag: Hist: part. 5.
de præcip: Germ. Urb. & Albini Meißnische Land Chronick Tit. 23.
Qui referunt Imper: Henricum II. privilegia Nundinarū Mar-
tisburgensibus dedisse An. 1007. Cum autem urbem plurima
incendia ferè totam delevissent, mercibus maxima intulissent
detrimenta & ad eam inopiam Cives deduxisset, ut novas statim
ædes extruere non valerent, Mercatores primùm Grimmam,
post Taucham, tandem Lipsiam se contulerunt. *Inde Panegyris*
hec (ait Dresserus l. c.) Lipsiam translata est à Theodorico & seqq:
Marchionibus Misnie, identidem aucta & privilegiis præclaris con-
firmata est Anno 1268. Quod indicat diploma Theodorici & tot
Imperatorum confirmationes solennes, quæ secutæ sunt.

Th. XVII. Disputare hîc volunt nonnulli, *utrum Jus Nun-*
dinarum, mortuo Imperatore, Regi Romanorum electo, nondum
vero à Pontifice Rom. coronato conveniat. Varias hinc inde pro
affirmativâ corradere laborant rationes. Sed labore hoc super-
sedere possent, si attenderent tum quod Coronatio Imperatoris
Romani, à Pontifice quæ fieri debeat, simpliciter necessaria haud
sit: alioquin hodiè per tot lustra nullos habuissemus Imperato-
res, Majestatis jura exercere valentes: Conf. *Limn. l. 2. I P. c. 4. §.*
70. seq. tum quod Fridericus II. Wenceslaus, Maxim: I. & Caro-
lus V. jura Nundinarum nullò statuum prohibente exereverint,
cum tamen illi non nisi Reges Romanorum; hic verò electum
Imperatorem Rom: sese appellitent, ut in hæctenus allegatis e o-
rum diplomatis videre est. Id tamen non negamus contingere
posse, ut Civitas aliqua *per immemorialis temporis usurpationē*
s. prescriptionem Jus Nundinarum celebrandarum obtineat. Eo
ipso enim nihil decedit potestati Imperatoris nostri Augustissi-
mi. Sicut enim territorium vel Jurisdictio territorialis consue-
tudine & præscriptione acquiri possunt, non obstante, quod cō-
cessio Jdictionis territorialis sit Regale & in nostro quidem Im-
perio soli Imperatori conveniat; Ita nullo modo derogat Maje-
stati

stati Imperatoris, si Jus Nundinarum celebrandarum civitas
quædam in Imperio nostro ex immemorialis temporis præscri-
ptione possideat, præcipuè cum Jus Nundinarum in signum
non superioritatis s. universalis recognitionis, sed præminen-
tis dignitatis tantum Imperatori nostro reservatum sit: Conf.
quæ de Præscriptione tradit *Reinking. de R.S. & E. l. 1. c. 5. c. 2. §. 15*
seqq.

Th. XVIII. Ut ut autem Principi ex plenitudine potesta-
tis, quam obtinet nunquam non liceat, quibus ac quando vo-
luerit, Privilegia Nundinarum concedere, veruntamen cum
privilegia non debeant erogari in detrimentum vel damnum ter-
tii, nec privilegium aut jus quæsitum alicui auferri per novum,
alicui concessum privilegium possit aut debeat salvâ justitiâ,
Rerump: conservatrice & fulcro primario, ideoq; rectius fece-
rit Princeps, si non soli affectui, quò erga locum privilegio be-
andum fertur; nec solis precibus Nundinas rogantium indul-
geat, sed & aliorum, quorum interest, vel interesse poterat, seu
Principes seu Civitates ac urbes vicinæ sint, sententiam & con-
silium eâ super re exigat: ne forsan tale privilegium ab indi-
gnis vel in detrimentum Reipubl: aut vicinarum Civi-
tatum sub vel ob reptitie illi extorqueatur & nimiam ac intem-
pestivam benevolentiam pœnitudo sequatur. Hinc est, quod
Imperator nunquam consuevit alicui dare privilegium Nundi-
narum, nisi prius *adjacentibus & vicinis civitatibus & pagis, quo-*
rum interesse possit, auditis, ait A. Gaill. l. 2. obs. pract. cap. 69. §. 25.
Ideoq; Ludovicus V. Imp: peculiari diplomate Anno 1337. pro-
misit Civitati Francofurtensi, se neq; Moguntinis neq; quibus-
cunq; aliis privilegium Nundinarum daturum, *quod damnum*
Francofurtensibus creare posset; siq; forsan tale privilegium ali-
quando concederetur, id nullum ac irritum fore & illico ad i-
psorum petitionem revocari debere. Quò facit, quod Impera-
tor noster nundinas alicui concedere haud solet, nisi prius sta-
tuum quorundam consilium eâ super re exquisiverit, quod li-
quet ex verbis, quæ habentur in Confirmatione Nundinarum
Francof. Wenceslai Anno 1348. *Mit wohlbedachten und gu-*
ten

ren Rath unserer Fürsten/ Edlen und getreuen: item, quæ habentur in Privilegio Hamburgensibus dato à Carolo IV. An. 1365. *Ex certa nostra scientia, animo deliberato, sanoq; Principum, Comitum ac Procerum nostrorum accedente consilio decernimus &c.* Eadem quoq; verba: *Wißentlich mit wohlbedachten Rath und guten Rath* habentur in Privilegiis Lipsiensium Nundinarum Maximil: I. Anno 1497. Caroli V. Anno 1547. & Ferd. III. Anno 1638.

Th XIX. Probavimus hætenus in genere Nundinarum Jus Regale esse & ad Principem pertinere exemplis partim, partim & rationibus; hinc illud sponte quasi sua fluit, etiam singula, quæ ad Nundinas pertinet, Magistratui Summo & in nostra Rep: Imperatori nostro Augustis. vindicanda esse. Ubi tamen id notatum volumus, tam circa materiam, quam circa formam Nundinarum si absolute spectentur, multa occurrere, quæ sunt J. C. & ad causarum civilium Præsidem Magistratum pertinent, quæ nos hæc vice à nostro foro remota esse volumus; at vero in quantum isthæc sunt materia & forma Nundinarum, eatenus etiam non nisi ad Magistratum summum pertinent. Quod itaque concernit *Materiam*, in Principis arbitrio positum esse dicimus, quoscunq; voluerit nundinarum privilegiis includere. Hinc Frid. II. privilegium Francofurtensi Civitati datum extendit *ad universos & singulos ad nundinas illas venientes.* Privilegium nundinarum Hamburgensium à Carolo IV. An. 1365. promulgatum comprehendit *universos & singulos ad dictas nundinas de quibuscunq; partibus accedentes, ibiq; per prædictarum septimanarum spacium vel citra commorantes & inde recedentes.* Sic confirmatio Privilegiorum Lipsiensium nundinarum à Maximil. I. 1497. itidem *ad omnes & singulos, qui eas invisere volunt, extenditur:* Et confirmatio ejusdem 1507. includit *omnes & singulos mercatores, & alios cujuscunq; dignitatis, status & conditionis sint, ex quocunq; regno, provincia aut territorio accesserint.* Quod Carol: V. 1529. & denuò 1547, ut & Ferdin: III. 1638. suis diplomatibus roborarunt. Sic à Nundinarum frequentatione earumq; Privilegio exclusos dicimus *negotiatores Fallitos* vulgò *Dano*

Banquerottiter dictos, qui bona sua dilapidantes, alios defraudarunt, vi Decreti Carol: V. 1548. in Comitibus Augustæ Vindelicorum editi in Polycen Ordnung Tit: von verdorbenen Kauffleuthen.

Th. XX. *Formam* nundinis præscribere non nisi solus Sūmus Magistrat9 potest: is cōditiones ac vēditiones, permutationes, solutiones & quæ plura talia sunt, determinare, solus facultatē habet: is solus siue mercatoribus seu mercibus *privilegia cōcedere valet*. Est enim hoc Jus connexum cum jure Legum, ut cui istud, eidem & illud conveniat, nisi forsan in mixtā Rep: per leges fundamentales aliud quid definitum sit. Sic Frid: Imp: 1219. Privilegium de *securitate omnibus ac singulis ad nundinas Francofurtenses venientibus dedit, eosq; in suam & Imperii protectionem recepit*. Idq; privilegium de utrisq; nundinis confirmavit Ludovicus V. decreto 1330. promulgato, in quo & *securitatem turbantibus certam pœnam & modum eos ad pœnam trabendi & puniendi definiuit, omnibus etiam subditis & Vasallis Imperii ut Francofurtenses in capiendis hisce delinquentibus strenue & quantum fieri potest, adjuvent severè injunxit*. Insuper Carol: IV. ultra confirmationem hujus Privilegii novum addidit, cives ac peregrinos Mercatores & alios concernens, quod *licet sint à Judicio Imperatoris Aulico per Banni sententiam proscripti aut proscribendi, sicq; ubivis locorum, ubi modo offenduntur ipsorum Persona pariter ac bona possent arrestari, tamen si accesserint hasce nundinas per integrum hocce tempus, imò octodecim diebus ante & octodecim diebus post nundinas, si permanserint in territorio Francofurtensi, debeant esse sub protectione imperii Roman: & Imperatoris, ut neq; à Judicio Imperatoris aulico neq; ab ullo alio judicio vel per mandata vel interdicia vel Bānum vel Arrestum ullum aliquod detrimentum vel damnum iis inferri possit, ac debeat*. Pari ratione Imper: Carol: IV. in privilegio Hamburger. sibus dato 1365. non modo in genere vult, ut *omnes ac singuli eas accedentes omnibus libertatibus, consuetudinibus, juribus & gratiis gaudere debeant & perfrui, quibus in & super aliis nundinis civitatum Imperii gaudent & quomodo libet, potiuntur*; Sed etiam in specie de securitate eis prospexit

in ipsa urbe Hamburgensi & de securo transitu & conductu per loca
& territoria Principum & Statuum eis prestando sub pœnâ mille
marcarum auri puri à contramolientibus exigendâ. Sic privile-
gium de securo abitu omnibus ac singulis, qui nundinis Lipsiensibus
interesse volunt, sub pœnâ præter eas, quas Antecessores dicitaverunt,
quingenta marcarum auri puri à delinquentibus sine remissione
exigendâ dedit Maximil. I. 1497. Quod prolixè repetitum in
edicto ejusdem Anno 1507: addito insuper novo privilegio de
non arrestandis etiâ in itinere quâcunq; de causâ sive personis s. bo-
nis ad has nundinas ducendis sub pœnâ fractæ Pacis publicæ: Quod
itidem confirmat Carol. V. diplomate Cæsareo 1529, mandatq;
denuò, ne contra ullum, qui hasce nundinas adierit, tempore nun-
dinarum Repressalia concedantur; idem repetit edicto 1547. Et
Ferd. III. decreto 1638. corroborat. Imò de securitate viarum
omnibus ac singulis prestandâ non paucæ leges habentur in R. I. de
Anno 1548. S. ferner zu noch mehrer: de Anno 1559. S. damit dan
die Obrigkeit & alibi, quæ non modo securitatem peregrinanti-
bus à Dominis Territorii præstari debere jubent, sed & Domi-
nos territorii ad refusionem damni & rei ablatae adigunt.

Th XXI. Porro quod finem spectat, Princeps non tenetur
simpliciter ob solû Reip: cōmodum Nundinas indicere, quâvis
id primò omnium debeat attendere, sed liberum illi insuper est,
etiam ob alias causas privilegium tale civitati cuidam largiri.
Hinc Ludov. V. in edicto 1337. ait, se Francofurtensibus ob bene-
merita in Imperatorem & Imperium nundinarum privilegia confir-
mare. Quod idem fatetur Wenceslaus in edicto 1384. Ma-
ximil. I. Lipsiensibus Privilegia nundinarum renovavit & confir-
mavit ob intercessionem Alberti Saxonie Ducis, tâquam optimè de
Imperatoribus & Imperio meriti 1497. Et denuò ad preces & in-
tercessionem Georgii Ducis Saxonie propter ejus merita 1507. Caro-
li V. ad petitionem ejusdem Georgii Ducis Saxonie 1529. Et denuò
ad supplicationem Senatus Civitatis Lips 1547. intuitu obedientiæ,
meritorum & strenuè gestorum in obsidione à Job. Friderico Elect.
Saxonie facta & quod quidam contra Privilegia ista in detrimen-
tum & præjudicium maximum Lipsiensium plurima commiserant.

Ferd.

Ferd: III. ad petitionem Senatus & Civitatis Lipsiensis itidem ob eorum merita, omnium horum privilegiorum confirmationem exhibuit decreto Anno 1638.

Th. XXII. Porro certum tempus nundinis definire, easque certo loco alligare vel ex loco in locum transferre omnino Principis est; si namq; locus nundinis assignatus gravissimam quadam de causa ipsi displicuerit, in alium eas transferre poterit: quia nisi Princeps Civitati cuidam Privilegium hoc tanquam æternum & nunquam desitutum dederit, quasi tacite hanc conditionem Privilegio annexam voluit, ut sibi semper liceat privilegium istud revocare & nundinas abrogare e.g. si contingat nundinas vel mercatus incidere in dies festos, Deo ejusque verbo audiendo dicatos, decet omnino Principem, ut istas nundinas prohibeat & in aliud tempus transferat. De Mercatu die Sabbathi non instituendo habemus mandatum *Nebemia Judæorum Principis, qui illos sub pœnâ omnium bonorum prohibuit Neb. XIII. 16. 20.* Francofurtensibus nundinas secundas concedens Ludovicus V. non modo certum definivit tempus, quando eæ sint celebrandæ *Quadragesimale vid:* (addita tamen potestate libera tempus illud mutandi & aliud commodius substituendi) sed & quamdiu sint duraturæ. *ad: 4. vid. dies;* de quâ re vide decretum ejus 1330. Hisce 14. diebus Wenceslaus denuò 14. dies adjecit decreto 1348. Idem Wenceslaus nundinas Francofurtenses *Paschales in ipsâ Septimana, Christi passioni sacratâ celebrari vetuit, utq; præcedenti die Veneris finiantur* mandavit edicto peculiari, cui Tit: *Schreiben der Franckfurter Mess halben/ weß solche auß und angehen sollen:* quod adducit *Limn. l. 7. c. 26. n. 29.* (Hæc tamen Wenceslai mandata observata nunquam esse, & experientia testis est, cum Vernales Nundinæ semper Dominica Judica sumant initium & non nisi per binas septimanas durent; & innotescit ex R. I. de Anno 1512. §. auch ist für nothürfftig Ubi Consuli Francofurtensi Jacobo Mellern injungitur ut deliberet cum suis & proximis comitiis referat, quâ ratione nundinæ Vernales è Septimanâ Passioni Christi sacratâ in laudé Dei in aliud comodius tēpus transferri queat) Eodē modo Carol: IV. decrevit, nundinas Håburgenses celebrari debere *perpetuis assuetudinibus*

ris temporibus annis singulis per tres septimanas, continuè nune-
randas & quidem per duas septimanas ante Festum Pentecostes
& per octo dies post dictum festum continuò sequentes secundum
tenorem illius Rescripti Anno 1365. Maximilianus I. tempus ab
Antecessoribus suis tribus nundinis Lipliensibus destinatum,
quod scil: *prime à Dominicâ Jubilate usq; ad Dominicam Cantate;*
secunda à Dominicâ post Festum Michaëlis per octo dies sequentes;
tertia à Festo Circumcisionis per octo sequentes dies continuari de-
beant, confirmavit edicto 1497. Quod iisdem verbis repetitur
in diplomate ejusdem 1507. ut & mandatis approbatoriis Caroli,
V. 1529. & 1547. & Ferdin: III. 1638. Sic Cæsareâ autoritate
nundinas Numburgenses, quæ olim tertio die ante ferias Paschales
celebrabatur, in diem Petri Pauli translatas esse refert Dress. Isag:
Hist. de Urbibus Germ. p 489.

Thef: XXIII. Tandem qui potestatem habet nundinas
constituendi, is etiam habet potestatem easdem iterum abrogan-
di, si iusta ipsi abrogationis causa fuerit. Si civitas privilegio
Nundinarum ornata vel negligat easdem in maximum Reip: de-
trimentum, & quamvis possit, easdem tamen celebrare nolit,
sicq; commoda & salutem Reip: haud parum impediatur; vel insi-
gniter ingrata sit in Principem, illiq; ad privilegium hoc revo-
candum sufficientem & satis gravem dederit causam; vel pro-
pter rebellionem aut simile quoddam facinus planè evertatur;
vel per terræmotum, aquarum inundationem, aut aliud tale o-
mninò pereat: Principi certè integrum erit privilegia nundi-
narum huic urbi data recipere & alii prolubitu erogare. Ca-
vere tamen semper, Principis est, ne *levi de causâ* privilegium
hoc semel concessum revocandò & hoc modo placita & decre-
ta sua, nullâ urgente necessitate, annihilando, si non levitatis
inconstantia tamen notam sibi inurat. Sic cum Francofurtenses
Guntherum Caroli in Imperio Æmulum in urbem recepis-
sent, Imper. Carolus privilegium Nundinarum ipsis olim con-
cessum abstulit & Moguntinensibus dedit, ut liquet ex *Arum:*
disert: ad A.B. num. 35. Sic Fridericus III. Imper. edicto 1469.

(cu-

(cu)
1587
xon
sive
cia
Lip
con
n

(cujus meminit Maximilianus I. in decreto supra allegato Anno 1587) ad preces Lipsiensium & literas intercessorias Ernesti Saxoniae Ducis abrogavit Nundinas Hallenses, earumque privilegia sive à sese sive ab aliis data vel porro danda, nulla & irrita pronunciavit. Maximilianus I. in privilegio de stapulis & Nundinis Lipsiensibus derogat omnibus illis mandatis, juribus, privilegiis ac consuetudinibus Euphorrensibus concessis vel concedendis, quae ullo modo juribus Lipsiensium poterant esse exitio. Quod Maximiliani edictum confirmavit Carolus V. An. 1529. & Ferdin. III. An. 1638.

Soli Deo Gloria.



Handwritten blue ink scribbles at the top left of the page.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is mostly illegible but seems to contain Latin or German phrases.

Soli Deo Gloria.



Handwritten blue ink scribbles and a signature-like mark at the bottom right of the page.




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



JOHANNES
in Erfordia V
M. CHRISTI
DISEPTA
JURE NEE

